



17. *DISPUTATIO PHILOSOPHICA* 33
DE
VERA 1745 12
MENDACII ET FALSILOQVII
DIFFERENTIA

QUAM
BONA CVM VENIA EXCELLENTISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS

PRAESES
M. GOTTHELF SAMVEL PETRI

CLEB. SAXO

PRO LOCO
IN FACVLTATE PHILOSOPHICA
CAPIENDO

IN AVDITORIO MAIORI

D. XIII. OCTOBR. A. R. S. MDCCXLV

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBIIICIT

RESPONDENTE

IOANNE THEOPHILO WEGNERO

VITEMB. SAXONE

S. S. TH. C.

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHEFFLERIANA



IN NOMINE DOMINI AMEN
V. R. A.
MINDACH ET ALII
D. T. R. N. T. A.

TOPIA OMNIVM V. R. A. T. I. S. S. I. M. I.
THE T. R. N. T. A. O. R. D. I. N. I.

IN OFFICIO PUBLICO T. R. N. T. A. I.
P. R. O. C. U. R. A. T. O. R. I. S.

IN NOMINE DOMINI AMEN
D. N. O. M. I. N. I. S. T. A. N. I. S. S. I. M. I.
D. N. O. M. I. N. I. S. T. A. N. I. S. S. I. M. I.
D. N. O. M. I. N. I. S. T. A. N. I. S. S. I. M. I.

IOHANNES THEOPHILUS WILHELMUS
V. R. A. T. O. R. I. S.



EX OFFICIO PUBLICO T. R. N. T. A. I.





Q. D. B. V.
EXERCITATIO PHILOSOPHICA
DE
MENDACII ET FALSILOQVII
DIFFERENTIA.

PRAEFATIO.



quam eximium sit orationis be-
neficium, quod, duce natura,
quilibet facile intelligit, distin-
cte exponit Cicero. Idem Offic. l. 1.
c. 16.
enim recte hoc munus ponit
in maximis, quae homini propositae sint, ne-
cessitatibus, conciliatione nimirum hominum
inter se, coniunctioneque naturali. Oratio
enim

A

enim nihil aliud est, quam declaratio mentis, voce articulata facta, ad Numen diuinum, foedusque sociale colendum. Plures quidem modos animi sensa declarandi praeter nostrum, de quo sermo est, dari posse, nemo profecto dubitabit. Fingamus enim quandam multitudinem hominum, coelum, aut, si dantur, lunam incolentium, ad nos descendere, qui sint expertes orationis beneficii, mirabiles profecto modos animaduertes, quibus mentem et admirationem suam significare sint annisuri. Aliquo nobis modo licet hoc intelligere ex hominibus, qui ex disiunctissimis locis ad nos perueniunt, nostri orationis generis ignari. Alium quendam, praeter hunc modum, dari, quo spiritus completi de conceptibus suis et uoluntate se mutuo certiores reddant, dubio plane caret, quamuis nullus unquam homo illum ratiocinando sit assequuturus. Haec tamen ratio, qua nos utimur in exponenda aliis uoluntate, et
con-

conuenientissima est omnium, quas forſan homo coniectando tradere poſſit. Nec minus maxime neceſſaria eſt. Uſus enim huius beneficii ad colendam, tuendamque ſocietatem humanam maxime facit. Finis nempe hominum cuius, ſi ab omnium actionum ultimo diſceſſeris, eſt felicitas, quae uero, quum, neglecta ſocialitate, mutuaque coniunctione, acquiri non poſſit, quia unus ſibi ſoli non ſufficit, ſocialitati ſtudendum eſſe Ius Naturae ſuadet. Ex hac ſocialitate ſocietas ipſa nata eſt, quae eſt coniunctio rationalis uirium, aut multorum, aut omnium, ad finem quendam communem obtinendum inſtituta. Omnis uero ſocietas maxime indiget communionem et conuenientiam animorum, de qua hominibus neceſſario conſtare debet. Quam animorum communionem ex ſignis externis percipere, oportet, homines, utpote qui facultate, internos animi motus ſine externa declaratione noſcendi, deſtituti ſunt. Con-

cluditur ergo, declarationem, uerbis factam, esse aliis modis commodiorem atque firmiterem, arctissimumque uinculum societatis inter solos homines conseruandae. Quum itaque communionis, quo hominum coetus alitur, maxima uis lateat in orationis facultate, ut societas per eam et stabiliiri, et eueri possit, rationem officiorum, quae ex iusta orationis usurpatione proficiuntur, maximi esse momenti, quaeque qui negligat, sanum societatis membrum haberi non posse, constat. Haec societatis officia, ad quae oratio quaedam adhibenda est, pro duplici sermonis usu et negliguntur et stabiliuntur. Aut enim occultamus sermone, quae manifestanda erant, isque sermo mendacium appellatur, aut occultamus, quae occultanda sunt, et dicitur falsiloquium, idque licitum. Quod utrumque in praesentia nobis est excutiendum.

I. Nec

I.

Nec me mouet Barthol. Keckermanni pariter ac Balthaf. Meisneri, auctoritas, qui quaestionem: sine mendacium aliquod licitum, inter omnium maxime difficiles referunt, sed rei ipsius dignitas, quam multis ante annis commixtam, et maxime implicitam, ex scriptis cognoscimus. Temporibus praesertim istis, quibus Scholasticorum colluuius non dogmaticam solum, sed etiam moralem Theologiam, maximopere perturbauit atque infecit, multum de hac quaestione fuisse disputatum, memini, eamque sententiam propugnatum esse, quae sanam morum doctrinam plane destruere possit. Rigidiores illi morum censores, potius eversores, eo processerunt, ut omnem plane ab homine religioso alienam esse uellent simulationem, et quamlibet falsi significationem turpissimo mendacii nomine insignire non erubescerent, quod infra pluribus commemorandum erit. Quorum uero ineptias et difficultates, quibus immerguntur, unica distinctione inter mendacium et falsiloquium quum discutere possimus, stat sententia, discrimen illud ulterius persequi, et utriusque notionem euoluere.

Barthol. Keckerm. in Syft. Eth. L. II. c. 9. can. Balthaf. Meisn. in Phil. Sob. Part. I. Sect. II. c. II. qu. 6

II.

Sed omnia, quae hic de differentia horum uerborum sicutur, pertinent ad usum orationis, legitime instituendum. Qui quum latissime pateat, paullo altius cum methodi, tum facilioris intelligentiae causa, repetendus mihi uidetur, qui in omnia officia quam largiter effunditur.

III.

Constat nimirum, officia, quae ab oratione profiscuntur, non minus, quam ea, ad quae actio quaedam est adhibenda, legibus naturalibus esse subiecta, et ad societatem hominum colendam multum facere; nec minus certum est, ex tribus officiorum generibus, quae leges naturae praecipiant, quodlibet sermonis usurpatione legitima contineri.

IV.

Ad primum, idque praecipuum, genus quod attingit, officia, erga Deum custodienda, rectum sermonis usum necessario sibi vindicant, quae quum et positivo et negativo actu absoluantur, utroque modo labefactari eadem posse per orationis facultatem, cognoscitur.

V.

Nec minus officiorum erga nos ipsos ratio de nexu eorum cum sermonis usu dubitare nos finit, quorum fundamentum, Philautia licita, perverso sermonis usu euertitur, et de iis officiis, quibus animorum, vitaeque coniunctio seruetur, res eo clarior est, quo maius damnum ex male loquentium vicio societati contrahitur. De quibus singulis alii fusius ex instituto praecerunt. Quae quum ita sint, hominis, officiorum studiosissimi, proprium est, in veritate promulganda eas, quas dixi, leges stricte obseruare, ne iis contrarium quid suscipiat.

VI.

Quicumque in veritate aliis aperienda sequitur normam legum, is uerax dicitur, et haec uirtus dicitur, ueracitas, qua quis moraliter uerum alteri

indicat,

indicat, cuius interest illud nosse. Duplici uero ex ratione fieri potest, ut a ueritatis officio remissio fiat, pro uario dicentis affectu. Aut enim ueritatem occultamus alteri, ut damnum inde, legibus prohibitum, contrahatur ab ignaro huius, uel illius facti; aut haec occultatio ueritatis ex sapienti quodam consilio oritur, cuius reuelatio nullum alteri emolumentum, sed damnum potius, affert. Alteram occultationem non inconuenienter dixeris malitiæ, alteram prudentiæ.

VII.

Qui ueritatem subdolis tegit uerbis, et moraliter falsum eloquitur, in alterius caput insidias comparaturus, dicitur mendax, et occultatio dolosa, animi sententiæ contraria in alterius, cui uerum dici debebat, damnum facta, uocatur mendacium.

VIII.

Formam huius uitii constituit dolus, diuinis aut humanis legibus contrarius. Hanc quidem Grotius L. III. c. I. §. 9. de iure B. et P. recte uocat repugnantiam cum iure existente, et mente eius, ad quem sermo, aut nota, dirigitur; labitur uero, quod hoc de mendacio, laxiore sensu sumo, intelligit.

IX.

Huius mendacii characteres qui eruere uelit tres habebit, 1) rei prolatae falsitatem, 2) intentionem, seu animum falsum dicendi, 3) damnum alteri iniuste conciliandum. Principio requiritur rei prolatae falsitas, de qua loquens aliter externe, ac interne, sentit. Sic is non mentitur, qui factum aliquod affirmat aut negat,

Noſt. Att.
lib. XI. c. II.

negat, quod aliter ſe habere poſtea cognouit. Vocant hanc erroneam pronuntiationem alii cum Gellio mendacium dicere, mentiri illum negantes. Rectius uero erraſſe illum dixeris. Ius aliquod praeterea alteri competere debet uerum ex me quaerendi. Quod ſi quis in iudicium uocaretur, teſtis actus alicuius, cui interfuit, falſum iudici dicere, maximum mendacium eſt. Sed ſinge, alium quendam, quem nec noſti, nec ius de uero inquirendi habet, ea, quae actum iſtum circumſtant, ex te percontari, huic, ſi ueritatem non profitearis, mendacii crimen non incurres. Tertio loco adſit animus damnum inferendi. Dantur enim alii ſermones falſi, qui non ex animo nocendi proficiſcuntur, ideoque mendacii annumerandi non ſunt. Cape tibi exemplum, in quo hae notiones conſpiciuntur ſingulae. Dabo, accedere ad te hominem, aliorum ope, patrocinioque, maxime indigentem, quaerentemque ex te, quibus artibus ſit utendum, ut huius patroni, quem tu optime noſti, gratiam aucupetur. Tu pro aſtutia et inuidia, qua palles, hunc patronum eſſe ambitioni maxime deditum, affirmas, qui honorum titulis mirifice afficiatur. Adit ergo cliens hunc, quem putat ambitioſum, uerborumque lenociniis adhibitis, proximiſſimam inſtituit miſer laudum commentationem, qua audientiam patroni turbat, facitque, ut is ex uanis uerborum ampullis indignationem capiat, clientemque ope ſua deſtituat. Tu ex legibus ſaltem humanitatis, ne dicam, debiti perfecti, obſtriſtus fuiſſes, ut huic, aliorum opem implorantem, meliora edocuiſſes de patroni animi propenſione. Mendacii ergo nota tibi inurenda erit.

X. Ex

X.

Ex his conficitur, veri occultationem tunc in uitium degenerare, ubi Dei honos, aut salus propria aliorumque, euertitur. Ideo recte a Thomasio, mendacium oppositum esse ueritati iustitiae, docetur, quo nimirum alter iuris, sibi competentis, periculum faciat, iustitiaque laedatur.

Jurisp. Di-
uin. Lib. II.
c. 7. §. 59.

XI.

Omne hoc mendacium sua natura, quam descripsi, uitiosum est. Negligit enim mendax obligationem naturalem, qua debebat, aut ex communibus omnium legibus, aut ex speciali pacto, de mutua procuranda felicitate, quod inter duos, pluresue, initum est, uerum dicere, quod scire alterius maxime refert. Nunquam enim fieri potest, ut actus legi contrarius, naturam legitimi induat. Nec opus est, ut ad pacti alicuius specialissimi uiolationem recurramus, quod raro, aut nunquam, existit. Solae leges naturales, de colenda societate per legitimum orationis usum, sufficiunt, ad turpitudinem mendacii demonstrandam. Bene hanc in rem pronuntiat Aristoteles, ita dicens:

Ethic. Lib.
:IV. c. 7.

Καθ' αὐτὸ δὲ τὸ μὲν ψῆδος Φαῦλον, καὶ ψεῖρον, i. e. per se uero mendacium malum et uituperabile est. Quem locum Grotius male limitatione angustiore restringit, illud *καθ' αὐτὸ*, communiter, seu, re spectata, sepositis circumstantiis, explicans, quia ueritatis reseruatio, ob certa, quae ei accidunt, momenta externa, nomen mendacii et uituperationem non meretur. Vocat hoc mendacium Grotius strictè sumtum, et semper iniuriosum.

Lib. III. c. I.
§ 14. de iure
belli et
pacis.

XII.

Summa ex his mendacii elucet turpitude, cuius natura in difformitate actionis cum lege uersatur.

B

Nam

Nam actio legi conformis, dicitur moraliter bona, legi difformis, moraliter mala. Quemadmodum itaque uerus hominis honor in actionum conformitate cum lege situs est, ita difformitas actionis cum eadem summa hominem afficit ignominia, ut adeo mendacium ad actiones moraliter, et interne prauas, iure suo referatur. Hunc nimirum in finem homo conditus est, ut societatem colat, quae, si sermonem spectes, et stabiliri et eueri potest. Mendax ergo duplici ratione ignominiam contrahit, laedendo socialitatis uinculum naturale, a cuius, tanquam mendacis, qui uerbis alteri imponere sueuit, communionem, semel decepti abstinebunt. Porro, cum mendacium coniunctum sit cum alterius damno, iniuste illato, illatio uero damni sit laesio iuris alterius, omnem mendacem legibus inconuenienter agere, constat.

XIII.

Quamlibet uero actionem finis eius diuersimode afficere, per se bonam contaminare, per se malam contra multo peiorem reddere, potest. Finis mendacii primarius est, in fonti detrimentum asserre, quod autem cum sit contra officia absoluta, quibus aliis, iisque innoxiiis, nocere uetatur, mendacem in absoluta officia impingere, eoque turpiorem esse, extra omnem positum est dubitationem.

XIV.

Quodsi porro attendamus ad ea, quae huic mendacitati connexa et implicita sunt, foecundissimam genitricem multorum scelerum eam abominabimur. Gignit enim iniustitiam, cum qua defraudatio et perfidia

fidia sororio nexu coniunctae sunt. Iniustitiam: quae, si in latissimo ambitu consideretur, quodcumque studium in officiis, erga alios uniuersis, cum generalibus, tum specialibus, sese legibus aduersum gerendi, connotabit. Haec si hominis mentem cepit, omnis generis fraudationes, tam tectas, quam apertas, procreabit, cuius cum late pateat ratio, perlongum foret, eam recensere. Commune enim omnibus, etiam sceleratissimis, hominibus perfugium et asyllum praebere creditur mendacium, quo dicta, factaque, colorare possint.

XV.

Quidque, amabo, fictis falsisque suis sermonibus aliud efficit mendax, quam ut se aliis maxime reddat suspectum, qui ipsi, tam saepe, totque modis turpissimis decepti, nullam plane fidem habent, etsi, forte fortuna, uera profiteatur. Quo fit, ut omnes hi eum ueluti purridum et pestiferum societatis membrum fugiant, atque tollere studeant. Nomen item mendacis adeo nobis humile atque contemptum audit, ut, si quem mendacem increpes, diem tibi propter iniurias dicere possit. De qua turpitudine ipsi morum studiosiores populi conuicti, acriter de mendacii reo statuerunt. Persae, ter mendacii accusatum et conuictum, perpetuo silere iusserunt. Artaxerxes linguam mentientis trifulco clauo affigi curauit, et Demosthenes, benignitatem ueritatemque colendo, homines Deo proprius accedere, interrogatus respondit. Si nobis nunc liceret ex purioribus reuelationis fontibus haurire, altiora saperemus, et doceremur, ueracem propius a diuina, mendacem uero a diabolica, natura abesse, quod Diabolus simpliciter ibi mendax audit.

XVI.

Priscis nostris germanis mendaces odiosum semper hominum genus atque contemptum fuit, quos seruii disciplina corrigendos putarunt, quo factum est, ut in proverbio habuerint, mendaces colaphis, aut sic, esse puniendos. Quam uero rigidiorem censuram reicit Carpzouius, causam interserens, iniuriam uerbalem armis repellere non licere, neque ui, armis illata, eam tolli, ideoque inferentem illegitimam hanc uim iniuriarum absoluendum non esse.

Quaest.
stim. 97.
no. 39. 40.

XVII.

Ad huius mendacii tam foetidum, tamque abominabile, uitium fugiendum, sequens regula faciet. Si ad communes priuatasque utilitates aliquid in medium asserre, damnumque auertere sermonibus nostris possumus, naturae legibus obligamur ad sinceritatem consequendam, sin' uero neque tua, neque alterius, intererit, ueritatem diuulgare, satius etiam est, quid rei sit, indicare, quam tacendo in fidei discrimen incurrere.

XVIII.

Operum
Coll. XVII.
c. 17.

Mirum in modum hac in re delirat Joannes Castianus cum sociis, qui mendacio utendum quodammodo esse, affirmare non dubitauit. Similitudinem capit ex usu ellebori, qui intempestiue adhibitus, mortem attrahat, instante uero grauissimo morbo, sanitatem restituat. Eius uerba haec sunt: Itaque, inquit, taliter de mendacio sentiendum est, atque ita eo utendum, quasi ei insit natura ellebori. Quod si imminente exitiali morbo sumtum fuerit, sit salubre, ceterum, absque summi discriminis necessitate perceptum, prae-

praesentis exitii est. Qua in similitudine auctor hic cum Platone consensit, nisi omnino Platonizat. Hic de Rep.L.V. enim ita dicit: *Ἐν Φαρμάκῳ εἶδει τὰ τοιαῦτα χεῖρομα εἶναι*, instar medicamenti uilia esse mendacia. Ex qua comparatione, si mentem horum assequi uolumus, mendacium officiosum saltem, uti uocant, intelligimus, quod ideo permittatur, si adsit uergens quaedam necessitas. Multum uero falluntur. Nam illud officiosum mendacium, quod nobis est falsiloquium, non ideo licitum fit, quia urgeat uitaе, aliusque rei, discrimen, sed quoniam legibus non aduersatur. Actiones enim, in se spectatae, quae malae sunt, nulla necessitate cogente, bonae fieri possunt, adeoque nec suscipi debent. Cuius paradoxo error in eo tantum consistit, quod naturam mendacii non exacte cognouerit, eaque commiscuerit, quae distincta omnino sunt. Exempla, quibus sententiam suam stabilitum iuit, declarant, in re nobiscum consentire, uerbis tantum inconuenientibus eloqui, patresque suos, quibus falsum et mendacium Synonyma sunt, sequi, ultra quos sapere nec uult, nec potest.

XIX.

Quid itaque de criticissima illa mendacii diuisione: in officiosum, iocosum, et perniciosum, quae non solum scholasticis Doctoribus, sed aliis quoque ex nostratibus, familiaris fuit, existimari debeat, obscurum esse non potest, ex qua tot altercationes mere uerbales ortae sunt. Quam diuisionem ex instituto pertractauit Io. Ludouicus Schumannus in singulari disputatione, quoque tendit b. Io. George Abichtius in disputatione de bonitate et malitia mendacii, quibus addendus est Iac. Ritterus in disp. de moralitate pii mendacii. Offi-

ciosum describunt, quod sit occultatio ueri, non ex temeritate aut leuitate quadam orta, sed quia id requirat officii ratio, quae honorem Dei, salutem publicam et priuatam, promouere doceat. Iocofum, quod solum animi causa proferatur, ut aliis placeamus, eosque delectemus. Haec duo priora genera laudantur, ultimum uero, perniciosum, omnibus diris deuouentes, quo alteri graue damnum creetur. Quae diuisio cum minus adaequata sit, quod sub generis sui differentia specifica, quae est illegalitas, non continetur, tolerari non potest; et, si admitteretur, illud inconueniens dictum prodiret, dari quoddam uitium, quod in uitio non sit. En contradictionem. Hocque sensu daretur furtum, aut adulterium, licitum et illicitum, quod absonum, uti monuit Illust. Hassen.

Synopf.
p. 339. Pol.
107.

XX.

Lib. III. c. I.
§. 10.

Alia uia Grotius ut his difficultatibus, quibus scholastici immerguntur, se expediat, distinctione inter mendacium, laxiore et strictiore sensu sumtum, rem totam conficere laborat. Haec uero distinguendi ratio lydium lapidem non fert. Est enim mendacium sua natura in uitio, et, quod formaliter uitiosum est, ab externis circumstantiis, loci, temporis, personae licitum fieri non potest. Hae enim accidentales sunt, et non mutant naturam, seu internam essentiam rei. Cum ergo mendacium rem, legibus uetitam, complectatur, tam late capi non potest, ut res licita eo contineatur.

XXI.

Originem huius triplicis diuisionis si indagemus, nulla alia erit, quam mendacii spuria notio, quam in
falsi

falsi significatione uoluntaria posuerunt, hunc in modum illud definiētes: quod sit falsi significatione uoluntaria, qua quis aliud in animo habet, aliud uerbis exprimit. Hinc non potuerunt non, miseris suis distinctionibus impliciti, multa statuere non consentanea. Quae notio si obtineret, mandatum diuinum, quo praecipit Deus Abrahamo filii mactationem, turpissimo mendacii nomine esset insigniendum. Sed quale, quales, mendacium. Officiosum. Egregie, scilicet, bone Lombarde.

XXII.

Quo factum est, ut scholastici eorumque dux, unus ex tribus istis corruptoribus, fratribus, Petrus Lombardus, omne falsum pro mendacio haberent, ducem in primis secuti Augustinum. Ita enim Lom L. IV. Dist. bardus: Cum quis significando enuntiat contra id,³⁵ quod animo sentit, ut aliud sit clausum in pectore, aliud lingua promtum; quod malum, ait Augustinus, proprium est mentientis. Quo in loco, ut in reliquis, pontificii confusionum harum auctores imitantur. Quae, si qui sint, erunt autem pauci, qui perturbata uberius legere uelint, adeant Io. Cassianum, et eius interpretem Alardum Gazaeum.

Io. Cassianus in Opp. p. 496.

XXIII.

Multus est Augustinus in proferendis mendacii speciebus, eiusque octo fingit, quarum uero tres postea c. 14. De mendatio. riores, non ad mendacium, uti descriptum est, sed ad falsiloquium referendae sunt. Nam is non mentitur qui rem quandam occultat, quae nulli obest, occultanti uero prodest, sed falsum loquitur.

XXIV.

XXIV.

Haec uero ueritatis occultatio duabus ex causis oriri potest, quas dixi §. VI, idque naturae experientiaeque, uti mihi quidem uidetur, maxime conuenienter. Cuius differentiae hoc proprium est, ut altera multum abominationis, uitique, secum ferat, altera regulis prudentiae conueniat, nihilque uiciositatis admixtae habeat, necessitas itaque summopere urget, ut utraque occultatio nomine discernatur, hoc nisi faciamus, contradictionis non immerito accusaremur. De duobus enim oppositis hic agitur. Oppositorum uero opposita ratio est.

XXV.

Sunt autem, qui mendacium et falsiloquium pro idem significantibus habent, ideoque omne falsiloquium appellant mendacium. Inter quos praecipue Grotius est, qui falsitatis significationem ad communem mendacii (laxiore sensu hanc uocem sumens) naturam requirit. Quam sententiam cum Thomasio merito reuicimus. Scholasticorum hoc in negotio iam notauimus errores.

Iurispr. diu.
L. II. c. 7.
§. 60.

XXVI.

Quemadmodum nouis rebus, noua nomina sunt imponenda, sic distinctis, distincta. Mendacii notio formalis erat, dolus legibus siue naturalibus, siue posituius, siue ciuilibus, contrarius, falsiloquii contra character essentialis est, ut bonum respectu dicentis, audientisue, promouearur. Falsiloquium ergo erit occultatio ueri, propter bonum finem, citra alterius cuiuspiam laesionem, lege prohibitam, facta, uti habet III. Hassen. Longissime itaque mendacium et falsiloquium a se

Synops.
p. 339.
pos. 100.

a se ipsis differunt, ut actus legis uiciosus et laudabilis, quem qui confundit, neutrius naturam exacte perspiciat.

XXVII.

Quam falsiloquii notionem per partes contemplaturus tres inueniet 1) falsum profertur, 2) ex intentione, 3) ut finis bonus obtineatur. Ratio huius formalis consistit in conuenientia actionis cum legibus. Abest nimirum ius aliquod alterius siue perfectum siue imperfectum, ex quo obligatio subnascatur, animi sensa aperiendi. Duo priores characteres communes sunt et mendacio et falsiloquio, atque actionem neque moraliter bonam, neque malam, efficiunt. Voluntaria occultatio adest quidem, formale uero utriusque discrimen constituere non potest, quia uoluntatis nostrae actiones per se indifferentes, seu, ut Cicero loquitur, neutrae sunt, et tum demum de earum moralitate statuere possumus, cum eas ad legis normam applicauerimus. Quotiescunque itaque actiones uoluntariae cum legibus pugnant, toties imputatio earum uillegum fieri potest, ut poena aut uicuperio agens afficiatur.

XXVIII.

Cuilibet ergo falsiloquio inest falsi quid, cuius ipse loquens sibi conscius est. In qua parte similis est mendacii descriptio. Ex quo conficitur, omne mendacium quidem esse falsiloquium sed non omne falsiloquium esse mendacium. Deinde, omne falsiloquium esse occultationem ueri, sed non omnem ueri occultationem esse falsiloquium, quia in falsiloquio, tanquam specie, plus est, quam in genere, ut adeo, has duas species maxime distinctas esse, comprehendas.

C

XXIX.

Quod ad intentionem, seu animum, attinet, scholastici duplicem statuunt, alteram quidem falsum proferendi, alteram per falsi enuntiationem fallendi, quam ultimam formalem mendacii dixerunt. Hi vero uocabulo fallendi aequiuoco cum admodum decepti sint, multum ad rem faciet, illud circumscribere suis terminis. Alio plane sensu sumitur haec uox in mendacii, alio in falsiloquii descriptione. Ibi denotat dolum malum, quo mendax imponere quaerenti studet, hic autem falsiloquus fallere alterum etiam dicitur, sed inter utrumque hoc maxime interest, quod in mendacio quis defraudetur iure suo, in falsiloquio non ita. Porro, in mendacio dolus malus primario intenditur, ex quo alter decipitur, sed in falsiloquio dicens non pro fine habet alterum duntaxat fallere, sed bonum aliquod, quanquam ex hoc sequatur dolus, tanquam effectus, qui decepto aliquod damnum affert. Taceo, in falsiloquio nonnemini, curiosius omnia anquirenti, sui ipsius culpa imponi. Poenas curiositatis friuolae merito luebat mater Papyrii praetextati, quae ex filio sciscitans, quid in senatu patres egissent, responsum accepit, deliberasse patres, utrumne conduceret reipublicae, uni duas dari feminas, an, unam feminam duobus uiris nubere, priusque approbatum esse. Quo audito, perterrita rem aequalibus suis refert. Hae perueniunt ad senatum, consiliique minus grati mutationem ab senatu efflagitant orantes lacrimantesque. Hoc lepido falsiloquio effecit Papyrius, ut non solum, exclusis senatorum filiis, solus in curiam admitteretur, sed etiam cognomentum honoris gratia acciperet Praetextati.

Gelli No-
stis Atticae
L. I. c. 23.

XXX.

Non adeo plane reiiciendum est discrimen, quod inter malum et bonum dolum tam ueteres, quam recentiores ICI constituerunt, uti Thomafius monet, dolum malum ad mendacii, hunc uero ad naturam falsiloquii propius accedere, illum tollendum, hunc non raro suadendum esse, quod nihil praeter licitam ueri occultationem contineat, ex qua is, qui fallitur, incommodorum expers maneat illicitorum.

*Iurisp. diu.
L. II. c. 7.
§. 72.*

XXX.

Quae singula si conferantur, sequens regula de falsiloquio generalis prodit. Quotiescunque aliorum non interest, ut loquamur, et signa conceptibus animi nostri conformia edamus, e contrario autem nostra refert, aut plane tacere, aut, si ex silentio suspicio oriatur rei, signis, alienum quid a nostris cogitationibus denotantibus, uti; toties tacere, aut signis, alienis a mente nostra, uti licet, hocque eo magis, si silentium, aut ueritatis occultatio, aliis sit emolumento. Exemplum huius falsiloquii praebet Athanasius, qui, conscensa naue, fuga salutem quaerebat. Sed diuino sic moderante Numine accidit, ut nauis, aduersum ipsi uentis tenentibus, conuerteretur, persecutoribusque gentilibus occurreret, quibus Athanasius interrogantibus: numne Athanasium uidisset, respondit, non longe abesse, modoque huc praeteruestum.

*Theodorus hist. ecci.
L. III. c. 9.*

XXII.

Tribus haec ueritatis occultatio modis fieri potest, 1) quando actum non est, quod actum dicitur, et uocatur simulatio, seu dolum positiuus, 2) quando, quod actum est,

est, sed negatur, dicitur dissimulatio, seu dolus negatiuus, 3) quod uere quidem gestum est, sed aliud plane factum esse fingitur, qua e occultatio fictionis nomine appellari potest. Alii hoc differre, aut uant, simulationem et dissimulationem a falsiloquio, quod illae actionibus fiant, quatenus uerbis opponuntur, hoc uero uerbis tantum committatur, sed haec subtilius omnino disputata mihi uidentur. Mihi potius ut genus et species apparent, falsiquam enim in genere denotat ueritatis occultationem, siue solis uerbis, siue adhibita simul actione, suscipiatur, aut negando rem, aut aliam factam esse, fingendo.

XXXIII.

Tres illi enarrati modi recte sub genere falsiloqui comprehenduntur, usque dum a formali eius non recedant, habita nimirum legum ratione, occultationem suadentium, aut uerantium. Nam si huiusmodi simulationes, dissimulationes fictionesque, instituuntur, in alterius damnum contra leges, illicitae fiunt, et mendacii adscribuntur, quarum turpitudinem supra indicauimus.

XXXIV.

Pufendorf.
L. IV. c. I.
§. 16. 17.

Has ueritatem tegendi rationes solo simulationis nomine comprehendere, easque pro uarietate personarum, finis aut loci, diuersimode appellare solent alii. Sic datur simulatio rectoria, exploratoria, stragematica.

XXXV.

Rectoriam dicunt simulationem, qua princeps, aut alii, quibus regendi tradita est potestas, utuntur, ad commune aut priuatum bonum promouendum. His simulatio uiam sternit res maximi momenti, in quibus publi-

publica salus uersatur, breui tempore expediendi, uti Plato hanc simulationem ideo principi summe necessariam ducit, ita scribens: *συχνῶ τῷ ψεύδει, ἢ ἀπάτῃ δεῖσθαι χρῆσθαι τὰς ἀρχοντας ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἀρχομένων*, crebro mendacio et fraude uti imperantes debere ad utilitatem subditorum. In eo autem errat Plato, quod simulationem hanc licitam odioso mendacii nomine insigniuerit, uti et aliis antiquis scriptoribus solemne est. Hae artes politicae nec incommode a graecis *πολιτεύματα*, quae *εξαληγήμασι* opponuntur, saepe nominantur.

de Republ.
L. V.

XXXVI.

Correctoria simulatio est, qua medii, ad finem aliquem necessarii, ratio ita temperatur, ut aliud quid ab agente perhibeatur, ac reuera agitur, uel agendum est. Haec usum praebet in curationibus aegrotorum, maxime melancholia correptorum, item in placandis infantibus, quibus narrationibus falsis non semel sanitas restituta est.

XXXVII.

Exploratoria est, quae ueritati inuestigandae inferuit, qualem usurpauit Salomo, quod constat, de diuidendo puero iudicium ferens, uoluntatem scindendi infantis simulans. Pari modo traditur Tiberius Suetonius
Claudius a Suetonio, usus fuisse hac exploratoria si-
mulatione, qui in cognoscendo et decernendo, mirax-
uariatate animi fuerit, modo circumspexisset et sagax,
modo inconsultus et praeceps, nonnunquam friuolus,
amentique similis.

vita Tib.
Claud. Cap.

XXXVIII.

Nec minus de strategemata simulatione ratio bellica dubitare nos sinit, qua bellantes erga se ipsos utuntur. Hoc differt strategemata simulatio a prioribus, quod damnum omnino illa intendatur, et afferatur parti contrariae, illis uero, bonum aliquod. Sed cum in bello licito finis sit, ut uires nocendi minuantur, damnumque alterius damno et calamitate auertatur, perinde erit, utrum testo, an aperto, Marte ille obtineatur. Imo, alteram bello contententium partem obligatam esse, ne a fortuna datam occasionem dimittat, qua parua manu duplicem numerum hostium profertere possit, leges naturales omnino distant. Quilibet ideo belli dux sanguini suorum, et internecioni parcere debet. Quae uictoria, artibus bellicis comparata, eo plus praestare mihi uideretur illi, quam numerosissimus exercitus de aequalibus, aut paucioribus numero reportauit, quo plus praestant uires animi uiribus corporis. De Heluetiis quidem refert Caesar, quod illi iactauerint, se ita a patribus maioribusque suis didicisse, ut magis uirtute, quam dolo, contenderent, aut insidiis niterentur, sed haec uictoria, solis uiribus corporis parata, Boeoticis gentibus relinquenda est, quibus maximus uirtutis splendor in robore consistit. Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis aptemus, dolo an uirtute, quis in hoste requirat.

Bell. Gall.
L. I. c. 13.

Virgil. L. II.
Aeneid.
p389.390.

XXXIX.

Illud tamen hic monendum uideatur, ne nomine strategematum licitorum, quacuis perfidia regatur, qua quis pactiorem, cum altera parte initam, tanquam foedifragus soluit, friuolis uerborum explicationibus,
aut

aut subdolis referuationibus innixus. Hoc est contra ius belli commune agere. Eas uero artes, quae in legitimo bello sine ullius pacti uiolatione, recte adhibentur, probat codex diuinus ipse. Iosua enim rei militaris, tum temporis usitatae, peritissimus, urbem Ai capturus, strategemate usus est laudabili. Parte enim sui exercitus urbem aggreditur, partem minorem insidias ponit contra oppidanos. Ab his ut uisum est, propius ad urbem accedere Iosua cum parua manu, magnam faciunt excursionem oppidani. Iosua, fugam simulans, totum exercitum in insidias inducit, ex quibus Israelitae euolantes urbem captam incendunt, et Iosua reuersus totum hostium, agmen fudit. Et quae huius generis plura.

Ios. c. VIII.

XL.

Hos aliosque ueritatem celandi modos, siue uerbis, siue factis fiant, fuerunt plurimi, qui tanquam illicitos proscripserunt. Quod si uero ipsorum naturam, et ea, quae ex his consequuntur, animo contemplamur, maxime legitimas imo necessarias nonnunquam esse, apparet, simulationes. Rem, uti dicunt, ab oculo ordiamur, et inquiramus in sermonis naturam. Sermo est maximum necessarium medium et instrumentum societatis hominum inter se deuinciendae. Instrumentalis uero causae usus indifferens est, qui pro uaria eius usurpatione laudari, culparique, potest et debet. Sic ensis usus, quo aut uitam nostram contra inuasorem defendimus, aut milites hostes legitimos cadunt, sine dubio legibus conuenit; si uero furiosus, aut ebriosus illum capiat, se, aliosque interfectorum, usum gladii in genere bonum esse, propugnabit nemo.

XLI.

XLI.

Sermonis ita nostri ratio latissime patet, qui pro uaria eius applicatione uarias formas, ut ita loquar, inducere potest. Vbicunque igitur leges iubent, ut oratione ueritas diuulgetur, ibi legitimus est usus eiusdem, si ueritatem cum aliis communices. Sin uero praeuideas animo, manifestationem veri plus tibi, aut aliis, aut communi societati, nocere, recte celanda est. Quibus falsiloquiis nonnunquam plane superfedere non possumus, nisi aut nostram aut aliorum salutem perdere uelimus. Cum uero quilibet ex legibus naturalibus ad suam aliorumque conseruationem sit obligatus, falsiloquia, huic conseruationi inferuentia, maxime licita esse, concluditur.

XLII.

Fingamus, omnem ueritatis enuntiationem esse licitam, adeoque falsiloquium cum ipso mendacio esse exterminandum, plurima bona, commoditatesque publicae, garrulitate illa impedirentur, et garrulus causa moralis harum utilitarum interceptarum, recte haberetur, poenasque garrulitatis merito lueret. Qui enim bonum morale et politicum, cum possit, non promouet, contra euerit intempestiuo sermone, is hostis societatis habendus est. Referatur huc exemplum obstetricum aegyptiarum, quae, nisi tyranno regi falsiloquiis imposuissent, maximum toti populo detrimentum arcessissent, dum breui tempore omnis interneccioni dari potuisset. Scholastici, et plures nostratum, in quibus Meisnerus, dicunt hanc simulationem officiosum mendacium, ad quod officii ratio eas obligabat. Sed si mendacii uera notio consistit in discre-

Phil. Sobr.
P. I. Sect. II.
qu. 6. p.
272.

discrepantia sermonis cum legibus nullum officium dari potest, quia contra officium agere, legibus repugnat, in quibus officia continentur. Qua propter consultius erit, toties a mendacii uocabulo abstinere, quoties leges rei permittunt occultationem.

XLIII.

Nec enim solum haec ueritatis simulatio in publicis negotiis, et uniuersae societatis salute procuranda, locum habet, sed etiam in eiusdem effigie, homine, qui microcosmus dicitur, usus simulationis insignis, idemque maxime licitus apparet. Qui simulandi modus itidem duplex est, aut enim solis uerbis, aut operibus simul, fieri potest.

XLIV.

Quod ad occultationem uerbalem spectat, quae a prudente suscipitur, uirtus est, qua sapiens sua et aliorum consilia, quae ex legibus aequitatis et prudentiae manifestanda non sunt, aliis temere non prodit, ut finem sibi propositum eo facilius consequi possit, diciturque taciturnitas. Vitium huic taciturnitati oppositum est garrulitas, seu loquacitas, qua quis in promulgandis consiliis suis aliorumue incautior est, absque tamen animo nocendi, quod uitium Ciceroni uocatur inanis loquendi profuentia. Hoc Part. Orat. c. 23. uitium loquacitatis si ex animo nocendi aliis oriatur, nomine, multo turpiori, prodicionis appellitari debet.

D

XLV.

XLV. Longissime ergo haec taciturnitas a uafricie praua, subdolaque simulatione, distat. Haec enim, matre turpi turpior filia mendacitatis, est habitus, fines actionum prauos occultandi, uirtutisque speciem illis induendi, ut aliis praeueniamus, et reticentia uocatur. Hac uiolatur ius quoddam, ui cuius ueritas occultanda non erat. Taciturnitas uero legis, de commoditate, aut utilitate ratione aliorum, ignara est. Neque uero putemus, asserta taciturnitate, collabi sinceritatem, fidemque antiquam. Nam antiqua nostra fides est habitus, ea dictis factisque sociis praestandi, quae leges iubent, ut eorum promoueamus emolumentum.

XLVI.

Nimis ergo praecipitanter iudicaremus, si quamlibet ueritatem in laudibus, omneque falsiloquium in uitiiis, ponamus, quia ueritatem sequendo tam ratione legum, tum ratione nostrarum commoditatum, rationi conuenienter, et contrarium quid, agere possumus, ut ex hac ueritatis occultatione loquens tam prudentissimus, quam malitiosissimus uocari possit. Ex quibus clarum est, ueritatem et falsiloquium, nulla legis habita ratione, referri posse ad medias actiones.

XLVII.

Datur praeter hanc realis quaedam occultatio ueritatis, quae habitus nomine uenit, mentem ueram

ram unius, pluriumue actionum, simul susceptarum, quae sub aspectum aliorum cadunt, celandi, et aspicientium animos ad falsum quendam finem conuertendi, ut alius deinde praeter hominum opinionem finis resulter, quem sperauit nemo. Quae simulationes reales non inepte uocentur strategemata intentionis, eademque cum bellicis ueniam laudemque merentur, nisi forte damna, iniuste aliis illata, uiam his patefecerint artibus. Quale strategema intentionis callidissima Iudith usurpasse in Pandectis diuinis refertur, uerum sui aduentus finem mira tegens calliditate.

XLVIII.

Huiusmodi prudentes simulationes quilibet sane concedet, nisi intemptius aliorum consiliorum percunctator. Vitam enim hominis si consideremus, quatenus coniuncta est cum hominum sceleratorum, omne bonum euertere studentium, societate, quam plane effugere non possumus, perpetuae pugnae iure quodam suo assimilari potest, qua contra malitiosas machinationes continuis bellis est nobis decertandum. Quos si de ueritate actionis suscipiundae, omittendaeue certiores interrogati redderemus, armati nostra imprudentia totum negotium disturbatum summis uiribus aggredierentur. In hanc sane nemo cupiditatem imperii in alios incidet, ut eos cogat se suis aemulis, aut malae fidei hominibus totum patefacere, illisque arma suppeditare, quibus contra se ipsum uti possint.

XLIX.

Libertati hoc maxime humanæ aduersaretur, si cui-
libet sciolo, qui nimia ducitur percontandi cupiditate,
rei cuiuslibet naturam, nosque totos aperire debere-
mus. Vi enim huius libertatis cuique integrum ma-
nere debet, ut in actionibus determinandis suo po-
tius, quam alterius, tamdiu utatur iudicio, donec ex-
dem ius alterius non destruunt, ideoque rationis ea-
rum reddendae dies iniuste illi indicitur. Spectant
nimirum hae actiones ad obligationem internam, cu-
ius iudex est agentis religio, quam libere ipse san-
ctam seruare debet. Quamdiu itaque nostra non re-
fert, quid alter suscipiat, illud relinquendum est obli-
gationi eius internae, iusque non habemus earum
causas sciscitandi.

L.

Neque multum roboris inest aduersantium sen-
tentiae, qua affirmant, quemlibet perpetuo ius ha-
bere, ne fallatur et decipiatur. Eodem haec iure re-
iicitur, quo opponitur. Quilibet perpetuo idem ius
habet ueritatem, ex cuius promulgatione damnum
sibi nasceretur, tegendi. Neque ratio satis clara est,
cur sermone potius nostro ad curiositatem alterius
explendam, quam ad utilitatem priuatam promo-
uendam sine alterius damno, debeam uti. Si uero
per uocem fallere intelligatur illatio quaedam damni
praeter alterius ius perfectum aut imperfectum, con-
cedo, sed illa in simulationibus nostris non spectatur,
adeoque oppositio iusta non est.

LI.

LI.

Naturalem alii propugnant convenientiam necessariam inter λόγον προφορικόν καὶ διάθετον, quod uerba, quae typi, seu imagines rei ipsius esse debent, rem, prouti est, exacte exprimere oporteat. Quemadmodum ergo νόημα falsum et uitiosum censetur, si non exprimat rem, ut est, ita ῥήμα erit falsum et uituperabile, si non expresserit ipsum νόημα, quale uersatur in animo dicentis. Sed haec omnia pertinent tum ad ueritatem ethicam, tum logicam, quod palam est. Haec autem ueritas, simpliciter spectata, non statim naturam uirtutis moralis induit, quae demum ob congruentiam dicti cum legibus nomen adipiscitur uirtutis; De quibus uirtutibus, non uero ueritatibus, moralibus hic agitur, quarum priorum relatio ad leges animaduertatur necesse est.

LII.

Keckermanniana obiectio risum potius, quam responsum, meretur, qua nescit argumentum ex graeca uoce ἀληθείας, in compositionem eius inquirens, qua ita graecis dicta perhibetur, quod non lateat. Sed, quaero, numne ueritates singulae content ipsi. Quid praeterea roboris insit argumentis, ab etymologia ductis, non latet, quibus uero plus, quam par est, tribuebant ueteres. Keckermannus ipse hanc argumentandi rationem reiceret, si quis, nominis eius inhaerens notationi, dixerit eum ad omnia pericula subeunda hominem promptum paratumque.

D 3

LIII.

LIII.

Incredibilem in modum audacia scholasticorum non solum, imprimis Thomae Hurtado, sed etiam Icti, Io. Andr. van der Muelen, euagatur, quorum ille mendacium, quod falsiloquium uocamus, nullo casu licitum esse, neque pro redemptione generis humani, cum aliis statuit; hic autem mendacia nullo tempore licita esse, non ob patriae defensionem, non ad uitam seruandam, ne quidem propter Dei gloriam, asseuerat. Quod praeposterum tuendae ueritatis studium, utriusque ueritatem cognoscendi principio, et rationis, cuius adduxi fundamenta, et reuelationis, in qua, ueluti ueritatis omnis purissimo fonte, plurima relata legimus exempla, repugnat, si quodlibet mendacium, quod nobis falsiloquium est, reiiceremus. Accidit uero his, ut, dum unum uirtutis genus assequuntur, in aliud uitium incidant, atque prae aliis uelint uideri religiosi.





Wittenberg, Diss., 1744-45


ULB Halle

005 310 547

3







17
DISPUTATIO PHILOSOPHICA 33
DE
VERA 1745 12
MENDACII ET FALSILOQVII
DIFFERENTIA

QVAM
BONA CVM VENIA EXCELLENTISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS

PRAESES
M. GOTTHELF SAMVEL PETRI
CLEB. SAXO

PRO LOCO
IN FACVLTATE PHILOSOPHICA
CAPIENDO

PASA
IN AVDITORIO MAIORI

D. XIII. OCTOBR. A. R. S. MDCCXLV
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIIICIT
RESPONDENTE

IOANNE THEOPHILO WEGNERO

VITEMB. SAXONE
S. S. TH. C.

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHEFFLERIANA

